



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Matrimoniu[m] non damnari ab his, qui virginitatem ei anteponunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

geli: nutrit per Eucharistiam, sanat per poenitentiam & vnde-
onem. Ob hanc repræsentationem, *Sacramentum hoc magnum
est, in Christo & Ecclesia.*

Explorata igitur hæresis, &c. vt Apostolus loquitur, doctrina
ad demoniorum, est, dicere, *Matrimonium esse malum*; quæ doc-
trina, vt vidimus, falso Catholicis, per Sectarios, imponitur.
Probè notum est nobis, quod sit honorabile coniugium in omniibus,
& torus immaculatus. Notum est & illud: *Si nupserit virgo, non
peccauit: itemque: Qui matrimonio iungit virginem bene facit, sed &*
illud notum nobis, quod sequitur: *Et qui non iungit, melius fa-
cit. Praferre vnum, non est alterum contemnere. Perfectio-
nem comparamus, non seiungimus bonitatem. Libidinem, non
statu accusamus. Projecto errant, inquit S. Augustinus, qui, cum
vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur; quasi morbus
iste de connubio sit, non de peccato. Et Tertullianus ait: Videamus,
an damnatio coniugij sit iusta, non quasi de structri felicitatem san-
ctitatis (quæ est in Virginitate) ut aliqui Nicolaitæ assertores libi-
dinis; sed qui sanctitatem, sine nuptiarum damnatione nouerimus, &
se temur; & preferamus, non ut malo bonum, sed ut bono melius.*

Neque verò matrimonia bona sunt duntaxat, quia ex-
pressa iuri divini institutione, benedictione, significatione san-
ctificata, & approbata; sed etiam ex ipso jure naturæ (quod in
dictamine rectæ rationis consistit) stabiliuntur. Siquidem ea,
quæ sunt propter finem aliquem, ex fine debent estimari.
Quare si qua res, per se est apta necessariaque ad finem per se
bonum ac necessarium, oportet & illam bonam esse. Coniugij
finis autem duplex habetur, vt tradit etiam Aristoteles: quo-
rum uerque bonus est. Nam primus & primarius finis, est
procreatio & educatio liberorum, eo modo, quo humanæ, im-
mo & Christianæ perfectioni conuenit, liberos educare. Quip-
pe, sine coniugio, aut species humana omnino non propagare-
tur; aut certè non ita, vt illius conditio exigit. Neque bonus S. Thom. q.
tantum, sed etiam necessarius est iste primus finis; nisi enim vir 65. art. 3. &c.
& mulier certo perpetuoque obligationis vinculo sibi mutuo q. 67. art. 1.
obstricti sint, non potest esse certa liberorum procreatio, aut
educatio idonea. Non enim certum habet patrem, cuius mater

III.
1. Tim. 4.

Hebr. 13.

1. Cor 7. 38.

S. Ang. lib. 1.
de nuptijs &
concupisc. e. 5
Tertull. lib. 1.
contra Mar-
cionem.

IV.

Aristot. lib. 8.
Ethic. c. 12.
Et S. Thom.
I. p. q. 92. a. 2.

S. Thom. q.
65. art. 3. &c.
q. 67. art. 1.

Q q 2

est